



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monumenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Francofurti ; Lipsiæ ; Norjbergæ, 1713**

III. Miserum statum, in quo à primo Ecclesiam Paderbornensem offendit,  
Principem in cogitationem Academiae impulsisse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29975**

## C A P U T III.

*Miserum statum, in quo à primo Ecclesiam Paderbornensem offendit, Principem in cogitationem Academia impulisse.*

Q Uis verò D E I in Ecclesiam Paderbornensem eximiam voluntatem, atque providentiam satis pro dignitate prædicet, qui in ipso tempore, parta cælesti afflatu, & domesticis institutis animi tui ornamenta, non diu cunctatus, ad ejus salutem, dignitatemque convertere dignatus est? Vix inter hujus Ecclesiæ Canonicos censeri cœperas, cùm in te omnium conjecti sunt oculi: neque quisquam fuit, qui ut tibi honores mandarentur, canos expectandos putaret. Aliorum virtutem diu periclitatur, & explorat Ecclesia, sæpe experta eos quoque quorum senectus omni laude floruerit, prius in illo ætatis lubrico, ut non ceciderint, titubasse. Te in ipso juventutis flore Præpositum sibi delegit, de robore animi tui, constantiâque securo. Quod equidem divino nutu factum arbitror, ut in tempore, Reip. vulnera, quæ paullò post curanda tibi essent, accuratè cognosceres. Eo enim tempore versabatur hæc Ecclesia in potestate Principis à Catholica religione alieni, neque multò antè vicinæ provinciæ gravibus erant ob dissidia de fidei doctrina motibus jactatæ, quos Gebhardus Truchsesius Archiepiscopus ductâ uxore, & Ecclesiæ contemptâ auctoritate excitarat. Itaque omnibus fato quodam temporum ad studium novarum rerum conversis, & cum iis faciente ipso, qui corrigere debuit, Antistite, universa rei Catholicæ cura, huic Admodum Reverendo & Nobilissimo Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis Collegio incubuit, cujus in tuenda majorum religione excubiæ, ac laboris digni omnino sunt quos justissimis laudibus, & gratiis posteritas tota prosequatur. Inter hos eminebat tua, Princeps Illustrissime, animi magnitudo in vincendis rebus adversis, prudentia in capiendo

consilio, dexteritas in Ecclesiæ incolumitate ubique procuranda. Itaque cùm defuncto Principe de successore deligendo Canonici convenissent, nemini propè dubium fuit, quin, si salvam vellent Ecclesiam, tuæ potissimum fidei credenda esset. Ita omnibus volentibus, & faustâ prece te prosequentibus, Episcopus Paderbornensis es renunciatus. Ibi cùm provinciam propè depositam, ac deploratam accepisses, ita persanandam putasti, ut eam aliquando non qualem modò accepisses laceram & afflictam, sed florentem, ornatamque posses successorì relinquere. Nihil dico de fortunis, quas propè consumptas repperisti: nihil de aere alieno, quo graviter sanè premebatur: nihil de oppositis pignori fundis, ac villis. Taceo non modò nunc existè ex aere alieno, & quicquid usquam obligatum fuerat bonorum Ecclesiæ, abs te liberatum esse, sed etiam novas arces exadificatas, nova vectigalia constituta. Et quoniam superiore libro nonnulla à me dicta sunt de hac tua ad confluentes Luppia, & Alifonis nova arce, adjiciam quoque de altera nonnihil, buæ Wevelsburgum dicitur. Ferunt in eodem loco antea arcem stetisse, cujus originem Hunnis, sive Hungaris tribuunt. Illi enim priusquam ad CHRISTI fidem, & humanitatem traducerentur, ut erant in primis immanes, & efferi, eruptione factâ in Saxoniam, & Turingiam circa annum Domini DCCCCVII. omnia flammâ ferroque vastarunt. Ab illis igitur, vel certè contra illos, prodidere quidam arcem primò positam II. à Paderborna milliario, ac restauratam deinde à Friderico Arnsbergæ Comite, qui decessit è vivis anno CHRISTI MXXIII. Venit postea in potestatem nobilium dynastarum in Beuren, atque inde in ditionem Paderbornensium Antistitum. Extructa est abs te, Princeps Illustrissime, forma triangulari, specie sanè visendâ, atque magnificâ. Quæ quidem, aliaque ejusdem generis operâ commemorarem, nihil equidem dicerem à laude Ecclesiastici Principis alienum. Nam etiam noster Magnus Carolus, cùm epitaphium carmen, quod Romæ, hodieque

*Gobelinus  
atq. 6.  
c. 57.*

in Vaticano visitur, scriberet Hadriano I. Pontifr. Maxîm. quem summâ pietate coluit, hæc inter ejus laudes quoque numeravit:

*Doctrinis, opibus, muris erexerat arces,*

*Urbs caput, orbis honos, inclyta Roma tuas.*

Sed magis semper es arbitratus ad te pertinere quæ ad animorum sempiternam salutem, & Orthodoxæ religionis incolumitatem spectarent. Eò igitur evestigio curas cogitationesque contulisti. Neque id diu præferre cunctatus es. Certè David Chytraeus homo Lutherianus, tuam electionem enarrans sic ait: *Paderbornensi diœcesi Theodoricus à Furstenberg gubernandæ præpositus est, & Calendarium Gregorianum subditis statim obtrusit.* Studuit homo vafer, obtrudendi vocabulo, pulcherrimum factum in invidiam vocare, quam scilicet, Princeps Illustrissime, facile contemnis, quòd auctoritati Vicarii CHRISTI, & Nicæni Concilii omnium sanctissimi parère, nihil habeat quod erubescendum videatur. Post hæc verò cum animadverteres cursum religionis Catholicæ duabus potissimum rebus retardari, multitudine prava docentium, qui superioribus temporibus omnia ferme suggesta involarant, & inopiâ eruditorum sacerdotum, qui veritatem adversus mendacia tuerentur, utrique medicinam adhibere aggressus, lolii satores facessere, & res suas sibi habere iussisti. Diuturnioris aliquantò curæ, & operæ fuit idoneos rei Catholicæ administratos, & doctores formare. Diu enim in hac urbe ne quidem Grammaticæ ludi satis ad rem Ecclesiæ erant comparati, donec Salentinus Colonienfis Elector, qui hanc Ecclesiam simul administrabat, annuis vectigalibus auctis, studia litterarum nonnihil erigeret. Extiterunt deinde illo decedente, ea tempora, ut Reverendum, & Nobile Cathedralium Canonorum Collegium in litteris, quibus anno MDLXXX, Kalendis Junii longiorem operam Patrum Societatis JESU expetit, confirmet raros posse reperiri, quorum satis constans, & certa sit de divinis rebus sententia, cum quilibet fere, quod commodum sit, credat. Quæ res

Exstat  
apud Ba-  
ron. tom.  
9. Anno  
CHRISTI  
795.

In Chroni-  
co Saxonie  
anno  
1585.

quo-

*Lib. 4. de  
Sacerdot.*

quoque eosdem sapientissimos Ecclesiæ nostræ proceres impulit, ut ludi administrationem omnem Societati JESU postea committerent. Sed tibi nimirum jam tum, Princeps Sapientissime, videbatur, nisi conditâ Academiâ, nunquam Ecclesiam in his terris eam doctorum hominum, quæ satis sit ad frangendos adversariorum impetus, facultatem habituram. Neque enim defuerunt viri graves, è quibus non nemo etiamnum superest, qui te audierunt, cum dices ipsis principatûs exordiis te confidere, tantum tibi vitæ atque opum datum iri divinitus, ut publicam artium maximarum officinam ponere in hac urbe liceret. Ea res quamvis id temporis ardua videretur, tamen fuit cui contemplatio magnitudinis animi tui, & spes utilitatis publicæ lachrymas ciceret. Jam enim intelligebas, quod à Divo JOANNE CHRYSOSTOMO disertâ, ut assolet, oratione, firmisque rationibus ostenditur, parum esse Christiano doctore, si vulgari quâdam, & mediocri eruditione sit præditus, propterea quòd incertum sit, quibus potissimum armis humani generis incautos sit aggressurus. Facit enim ille quod ii, qui urbem aliquam circumfident, ut eâ parte præcipuè faciat impressionem, quâ paucioribus præsiidiis munitam esse viderit. Itaque si parochus quis Ecclesiam regendam susceperit, qui, ut ceterorum non sit rudis, minùs sit Græcè, vel Hebraicè doctus, confestim extimulat, qui voces in sacris litteris, aliter ac veritas habet, accipiendas esse contendat: Si dialectices est ignarus, exsuscitat, qui argutis eum conclusunculis impediât: Si historiæ veteris, & Ecclesiasticæ est imperitus, qui fictas fabulas, & contortas, ac difficiles temporum rationes objiciat. Denique quacumque in arte fuerit minùs versatus, in ea si adversario latus præbuisse videbitur, quamvis ceteroqui sit excellenti, reconditâque doctrinâ, tamen causam dederit imperitis suspicandi, ideò quippiam in Catholica doctrina verum non esse, quòd à veritatis doctore, non quicquid contrâ dici potest, diluatur. Id si iis usu venire potest, qui sublimioribus disciplinis exculti, minorum  
sunt

sunt expertes, quid illis fiet, qui inferioribus leviter tincti, nullam partem graviorum attigerunt? Magnâ igitur ratione, Princeps Illustrissime, instituisti, cum provinciam accepisses refertam oppugnantibus Catholicæ religionis, vacuum propè iis qui pro dignitate ejus scita, ac decreta explicare possent; successoribus optimè eruditis hominibus septam & vallatam relinquere, qui illam omni doctrinæ genere, adversus quodlibet hostium genus propugnare, & tueri didicissent.

## C A P U T IV.

*Illustrissimum Principem fundanda Academia paci, & tranquillitati publicæ consultum iussisse.*

Quibus rebus perfecisti ut & Episcopi, cujus est sibi creditos homines erudire, & Principis, qui non sine causa gladium portat, præclarè muneribus perfunctus esse viderere. Tunc enim minus molestum est timore pœnarum ad veritatem amplectendam cogi, cum non defuerint, qui eam veritatem esse, quæ ostenditur; errorem verò qui abjici jubetur, liquidò docere possint. Itaque ubi & mens doctrinâ imbuitur, & voluntas potestate compellitur, prona est obedientia. Obedientiam consequitur pax illa, de qua alicubi Augustinus, cum disputaret contra Gaudentium, qui volebat Hæreticos, & Schismaticos Imperatoribus pœnas dare: *Regibus (inquit) ea qua secundum Deum sunt religioso timore*

*Lib. 3. contra Gaudentium circa finem.*  
*jubentibus quisquis obtemperat, timore incipiens, & dilectione proficiens, à Domino accepit pacem, non sicut pacem dat seculum. quoniam seculum dat pacem propter temporalem utilitatem: Dominus autem propter æternam salutem.*

Verùm, ut alibi docet idem sanctissimus Antistes: *Utitur etiam cælestis civitas in hac sua peregrinatione pace terrenâ.* Cujus civitatis procuratio cum Christiano Principi, præsertim Ecclesiastico, sit commissa, & ipse *humanarum voluntatum compositionem, quantum salvâ pietate ac religione conceditur,*

*Lib. 19. de civit. Dei c. 17.*

*Ibidem.*